



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

IV. Paulus Papa Concilium indicit & promulgat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

III. Clément VII. in celsissima illa totius Christianæ Reipublicæ specula sedens, ubi tam atras feditionis nubes, plenas grandine & fulgure Germaniæ, imminentes, magis in dies magisque se expandere, & iam iam in miseram Germaniam fœdâ effusuras procellam vidit; tum etiam ab Imperatore corâ de statu Germaniæ, ex 23. Dec. Bononiæ congressu, edoctus: ad Joannem Fridericum Saxoniæ Ducem, qui patri nuper successerat, & inter Protestantés primas tenebat, legatum misit Hugonem Rangonum Regiensem Episcopum qui eertam Concilij, ut in eo controversiæ religionis disceptentur ac decidantur, spem faceret; loco ad id Bononiæ, Placentiæ aut Mantuæ designato. Sed hunc Pontificis conatum primo Protestantium tergiversatio impedivit, qui Anno eodem ad 24. Junij Smalcaldiæ conventum habuerunt, in causa responsi dandi Legato Pontificio; deinde post Annum VII. Kalend. Octob. secuta mors ipsius Clementis, interpellavit. Qui ei successit Paullus III. ad eandem rem Mantuam urbem Imperialem delegit, non solum fide publica, sed etiam obsidibus oblatis: demonstrans simul urbem hæc ut vicinam Germaniæ, commodissimam esse; quum reliquis nationibus in Germaniam, tot sectis pullulantem & seditionibus æstuantem, parum tutum sit proficisci.

At Lutherani, qui leges dare non accipere volebant; primo dictitabant in Germania cogendum esse Concilium; secundo eidem præsidendi, aut supremam de Concilij decretis iudicandi, potestatem non solum non penes Pontificem Rom. esse, sed nec penes quenquam esse debere, sed liberum. Quam illi doctrinam ab Apostolo suo Luthero hauserant. Quamvis enim is non ignoraret, nullum unquam inter Christianos fuisse celebratum, cui non Romanus Pontifex vel ipse vel per Legatos præfederit: & ad confirmanda Conciliorum decreta eiusdem auctoritatem semper fuisse requisitam: tamen homo qui nihil nisi turbas moliretur, facile videbat hac una ratione summâ confusionem in Ecclesiam invecum iri. Numquid enim primum illud Nicenum Concilium à Sylvestro Papa confirmatum fuit, cui eiusdem nomine Osius præfederat? Constantinopolitanum à Damaso? Ephesinum à Cælestino, cuius nomine præfens fuerat Cyrillus? Chalcedonense à Esono? cuius Legati, restantibus Evagrio, eius fuerant præsides. Duo Constantinopolitana à Vigilio & Leone? Nicenum ab Adriano? tertium Constantinopolitanum ab Adriano II.? Num-

quid primi Lateranensis Concilij Calistus Papa suis præfens? Innocentius III. secundus? Lugdunensis Innocentius IV. Clemens V. Viennensis? Florentini Eugenius Quartus? Leo Lateranensis quartus? Et hæc quidem septedecim illa sunt Oecumenica seu generalia Concilia, quorū tam indicendorū quā confirmandorū auctoritatē ac prerogativam totius Christianus orbis Romanis Pontificibus semper detulit, quam homines isti postremissimi eisdem eripere conantur. Prò pudor! Sed ut Deus nihilominus in ipsis, quas assumpserant tenebris, lumen aspergeret Protestantibus, fructus uberri- mos, Fallorum Prophetarum indices, iisdem in oculos, & ora iniecit. Siquidem mense Maio hoc ipso tempore, quo Legatus Apostolicus in Saxoniam veniebat, acturus de Concilio cum Saxone, Michael Stifelius Apostata Monachus, Lutheri Apostolus Tragi-Comædiam illâ de die Judicij in seq. festo S. Lucae ad futuro exorsus est in publico prope Wittebergam mundi Theatro, quam libro secundo capite 16. numero 6. descrip- tam exhibui & eodem profus Anno in lucem dedit, Lutherus librum suum de Missa angulari, in quo, Deo haud dubie ad salutem misere seducto- rum impellente, apostatarum princeps Lutherus ipse sua manu mundo confessus est, suam doctrinam à Diabolo ipso esse acceptam, seque in eius sententiam concessisse (e) sed & ipse Lutherus eadē ætate huius anni frequenter nocturnis terricola- mētis infestatus & horrendis somniis inquietatus describitur in Colloquijs suis mensalibus. Tomo primo Latin. pag. 48. 49. 50. maxime Judicij exte- mi terribus, quibus fanatico Stifelio videretur ianua fuisse aperta ad eam quam retuli impostu- ram (f) Sed & alia eodem tempore portenta terri- bilia evenere quæ Lutherana dogmata Germanis non solum suspecta sed & damnabilia declarabant, inter quæ est illud quod Anno 1543. pridie Natalis Domini Stasfurti in Saxonia Donerum Prædican- tem Lutheranum dæmon specie confecti homi- nis aggressus est, & per eum universam Christi Re- ligionem evertere est conatus; & Anabaptistæ Monasterij cunctis sæculis infanda, ex Lutheri principijs aggressi sunt. (g)

VI Si Sleidani cornicationi & nuptijs fidem quis habeat, Paullū III Pontificem nihil magis quā Con- cilium metuisse: dicit: qui tamē in tâta occupationū qui-
e Vide Vlenberg. Vit. Luth. cap. 25. num. 3. Serarium de Lutheri magistro &c. f Vlenberg. ibidem num. 2. g Bzovius, Meschovius & alij.

quibus obrutus erat, mole, eius cogendi præcipuam curam habebat. Siquidem ea causa statim ac pontifex erat creatus 16 Jan. An. 1535. Romæ Comitia habuit, misitque legatos ad Reges & Principes ob locum, de quo summa lis erat. Omnes certe qui vitam eius descripserunt, fatentur quamuis senio multisque laboribus fractum, eò omni studio incubuisse, ut ad extirpandas quæ ipso Pontifice incredibili copia & fecunditate extiterant hæreses, & Christianæ Reipublicæ res ordinandas, sanctum & legitimum Concilium celebraretur. Neque unquam sui præcipue temporis infelicitatem deplorare cessabat. Quum ergo quod Mantuæ indixerat Concilium multas ob causas fuisset impeditum, Vicentiam, Venetorum ditionis oppidum, ad id delegit, missis eò Legatis suis, ut ipsius exemplo ceteri Principes suos quoque eò mitterent: verum nonnullorum cunctatio effecit ut lentè omnia procederent, ut hic quoque conatus frustra fuerit. Quia vero animaduertebat hæresis contagionem (quæ tum Galliarum regnum quoque inuaserat, ac pæne affligerat, ut VII. libro ostendam) mirabili celeritate indies longius latiusque prospere; per Legatos Protestanteis admonere atque virgere non cessabat: quos illi incredibili contemptu & fastu, tanquam soli essent rerum domini, non modò reiecerunt, verum etiam ludibrio habuerunt.

V. Nihilominus tamen ut tam sanctum opus facilius procederet, idem venerabilis & ætate fractus senex Nicæam profectus, inter Cæsarem & Galliarum regem pacem confecit: eosdem multis precibus atque etiam lacrymis obrestatus, ut Vicentiam ipsi venirent ad Concilium, quo sic tandem Ecclesiæ pax redderetur. Ac licet uterque ab hoc non alienus esset, obstabat tamen utriusque regni, quæ nondum à bello respirauerant, negotiorum multitudo. Bonus hic Pontifex in Cardinalium consensu nullius rei quam morum in Ecclesiasticis emendationis frequentiore mentionem facere solebat, & in primis Curie Romanæ, ubi propter omnium nationum concursum, fieri non potest quin morum dissolutio & luxus subingrediantur: e quibus, ut idè dicere solebat, omnes hæreses nasci solent. Ex Cardinalium ergo numero quatuor, & ex Episcopis aliquot delegit, ipsique grauer mandauit, ut Ecclesiasticorum morbos circumspicerent, & formulam emendationis conciperent. Quod diligenter quidem illi fecerunt: verum exitus monstrauit, ad morbos tam inue-

ratos, & vniuersalem contagionem, quæ non Ecclesiasticos tantum, verum etiam omnes ordines inuaserat, diuersis ac ingentibus opus esse remedijs; neque vnus diei aut anni hoc esse negotium, aut eiusmodi, quod simul & semel ad pristinam illam puritatem atque integritatem reduci possit. Puritatem dico morum, non doctrinæ. Fallunt enim aut falluntur, qui doctrinæ emendationem Pontifici proposiram fuisse aiunt, quum hæc, iuxta infallibile Dei promissum, pura & integra semper in Ecclesia conseruata sit, neque à bonis aut vitiosis hominum moribus dependeat.

VI. At Lutherus pro ea qua omnibus in rebus perpetuo vsus est, scurrilitate tam sanctum Pontificis desiderium non modo irritum, sed contra hanc emendationem librum quoque publicauit, cui præfixa est *pietura; in qua Pontificem in sublimi solio sedentem circumstunt aliquot Cardinales, qui caudis vulpinis ad longurios alligatis, veluti scopis, omnia sursum deorsum repurgant.* O hominem ab ipsa natura, ut ita dicam, ad scurrilitatem factum! Itane nihil omnino fuit, quod hic velut alter Lucianus non roderet aut subsannaret? Sed & tunc & etiamnum Deus, derisoribus parauit iudicia. Erga Pontificis Legatum Saxoniarum Dux modeste & reuerenter se gessit, & ad ipsum quoque Pontificem humiliter scripsit. At Landgravius, Lutheri delicia, nullam omnino eius habuit rationem, ut qui nulli aliquid ea quæ Smalcaldiarum constituta fuerat, auctoritati deferret: & quodam die quum Legatus, ut in mandatis habebat, Landgravius colloquium experiri uisisset, ille tanquam Sacramentarium genio propinquior, *sibi non vacare*, dixit; & eodem fere momento Lutherum inuisit, grauer ex calculo decumbentem. Quod quidem Legatus è suo diuersorio videre poterat. Nihil tamen tot tantisque impedimentis & repulsis absteritus Pontifex, in proposito suo conuocandi Concilij perseuerabat, sperans sua tandem Christiana patientia infidelium istorum duritiam superatum iri. Cum igitur Optimus Pontifex humana quidem media destituerent affligerentque, Deus ei grande solatium & manum ad sancta proposita sua implenda præparauit. Siquidem ante quam ex viuis excederet, vidit, & laudauit adiutorem *Digitum Dei* (i) quo Ecclesia in cunctas dæmonis machinas per Lutherum erectas erat pugnatura & vero triumphatura.

Ii

Enim

i Historia Soc. Iesu Tomus 1. Vita S. Ignatij Scriptores.